MALTA

DIATRIBA



DIATRIBA
PHYSICO-MEDICO-CLINICA
DE SANITATE TUENDA,
ATQUE SERVANDA

Juvenibus studiosis Congreg. SS. Redemptoris

PROPOSITA

Auctore Rosario Maria Malta

EJUSDEM CONGREGATIONIS PRESBYTERO

MEDICINA AC PHILOSOPHIA DOCTORE.

AC UTILIS

LYCEIS, COLLEGIIS, CLERICORUM SEMINARIIS

ET QUALICUNQUE CORPORI MORALI.





NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA PASCHALIS TIZZANO.

MDCCCXXXVII.

Ars longa, vita brevis, occasio praeceps, experimentum periculosum, judicium difficile.

Hippocr. sextio Prima Aphorism. Primus.

Viro Excellentiss. ac Reverendiss. Patri

D. JOANNI CAMILLO RIPOLI

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS RECTORI MAJORI

AC SUPERIORI GENERALI.



Pater Rosarius Maria Malta

S. P.

Quinam justius, quam Tibi, Reverendissime Pater, hasce meas elucubratiunculas dicare potuissem? Et tua benevolentia erga me, qua pluribus abhinc annis fruor, et morum suavitas, et zelus ardens pro no-

strae Congregationis almo regimine tum omnium consulendo animarum saluti, tum Patrum senum, tum juvenum, tum fratrum sanitatem prae oculis habendo: omnia omnibus factus, ad ea peragenda me impulere.

Hinc jure meritoque Patres omnes tum citra, tum ultra montes, tum universus orbis ad Congregationem regendam plenis votis, et plaudentes manibus Te eligere festinarunt.

Hinc ego, quamvis diu haeserim, meo tamen Patre Rectore D. Michele de Netta, ac peroptimo meo directore impellente obedientiae fisus, haec monita ac clinica effata - De Sanitate tuenda, et servanda juvenibus nostris proposita - non erubui in medium proferre, utpote quae duxi, nimium, necessaria in percurrendo stadio, ne forte eis oblitis praerupto tramite deficiant in via.

Hinc Te deprector Reverendiss. Pater, ne ea despicias, sed animo grato suscipias, et alta dignitate, qua polles; foveas, et ex nimia charitate, qua fulges, studiosis juvenibus sistere digneris. Et casu, quo Tibi expedire videbitur ea typis edendi mihi secundum nostra Statuta facultatem impertiaris. Interea ad pedes provolutus, et deosculor, et paternam benedictionem deposco.

Veneratissimo P. Rettore.

Giorni sono, che mi capitò da Napoli la nuova Dissertazione sopra i mezzi, onde i nostri Studenti potessero conservare la loro salute, composta dalla vostra saggia carità; che dotata dalla sublime scienza medica, ed animata dalle virtù eroiche, ha cercato a diffondersi in pro de' vostri Fratelli, da voi amati, come la pupilla de' vostri occhi.

La stessa prelodata Dissertazione, dietro le vostre mire, onde conseguisse l' intento, viene dedicata a me. E questo è l'onore, che immeritevolmente bensì, ma con sommo gradimento, e con la più viva riconoscenza da Voi accolgo.

Ho cominciato a leggerla, e quanto più la leggo più mi consolo; nè dubito punto, che le leggi in essa contenute, comecchè poggiate sull' esperienza de' fatti, non siano accomodatissime alla conservazione della salute de' nostri Giovani.

Voglio però darvi avviso per maggior vostra consolazione che oggi giorno si procede con somma cautela sull' articolo Salute *nella ricezione de' Giovani; vengono essi e-*

saminati prima da' Medici, e Chirurgi periti, e ricevuti poi nel corso del Noviziato similmente, onde assicurarsi della loro salute. E se vi sono taluni acciaccati sono quelli, che già così li trovai nell' Istituto.

Gradite anche Voi i sentimenti di tutta la mia gratitudine, ed attendete i giusti premii del Signore, in nome del quale vi abbraccio di cuore, e vi benedico.

Pagani li 8 *Marzo* 1837.

Vostro affez. Fratello in G. C.
Gio: Camillo Ripoli del SS. Red.

JOANNES CAMILLUS RIPOLI

Congregationis SS. Redemptoris Rector Major
et Superior Generalis.

Opusculum cui titulus: Diatriba Phisico-Medico-Clinica, de Sanitate tuenda, et servanda Juvenibus studiosis SS. Redemptoris proposita Auctore Rosario Maria Malta ejusdem Congregationis Presbytero Philosophiae, ac Medicinae Doctore. Utilis et Lyceis, Collegiis, Clericorum Seminariis et qualicunque Corpori Morali, *cum ab aliquot ejusdem Congregationis Theologis recognitum, atque approbatum fuerit. Nos praesentium tenere facultatem Tibi impartimur, quatenus servatis de jure servandis illud typis mandare possis. Cujus rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, ac Sigillo Congregationis munitas dedimus.*

Nuceriae Paganorum ex Collegio Residentiae Nostrae ad S. Michaelem die 28. *Martii* 1837.

JOANNES CAMILLUS RIPOLI Congregationis SS.
Redempt. Rector Major, et Sup. Gener.

Publicae Institutioni Praefecto etc. etc.

Diatribam *De Sanitate tuenda* etc. etc. non perfunctorie legi. Cujus Auctor in eo fere totus est, ut senarium illum numerum expendat rerum, quas olim non naturales, nunc stimulos naturales, fortasse minus apte, vocitant. Quorum notitia, usuque idoneo, Hippocratis Aphorismorum observatione suffulti lectores, sed Alumni praesertim SS. Redemptoris, bene valeant, quo aeternae aliorum saluti et alacrius, et diutius valeant inservire. Haec operis summa, is propositus finis; in quo, praeter stili elegantiam, minime vulgaris eminet Medicae Artis et cognitio, et usus. Ad haec: nihil in eo integritati morum, nihil Catholicae fidei, nihil Regis iuribus adversum. Quamobrem, ut vulgari typis queat, non sine publico emolumento, nihil videtur obstare.

Dabam Neapoli Kal. Septembribus An. MDCCCXXXVII.

JOSEPH ANGELUS DE FURNO R. R.

Medicos versari in ore atque oculis omnium, coli ac instar Deorum?

Hinc mortales post Adae peccatum aerumnis atque curis undique obruti omnes industriae nervos ac scientiae vires ad sanitatem tuendam intendere sunt conati; et aliquando in infirmitates elapsi omni pacto, omni precio sanitatem amissam adhibitis medicinae praesidiis recuperare. Quoniam morti omnia cedunt, ac felicitas hominis cum morte evanescit. Ita mondani loquuntur. Nos autem fide Revelationi fulti credimus mortem non terminum, sed principium felicitatis aeternae in nobis constituere. Beati mortui qui in Domino moriuntur. *Apoc. 14. 13.*

Hisce praelibatis liquido patet omnes teneri tum salutem animae tum corporis Deo opitulante custodire animae quote quae aeterna, corporis ut munia in hoc brevi curriculo nobis concredita facilius subire valeamus.

Hinc, Clarissimi Adolescentes, Sanctuarium Domini Nostri ingressi, ac tremendum Apostolicae vitae ministerium excitaturi, omni conatu conamini tum sacra muni callere, tum sanitatem custodire. Sanitas enim omni pacto servanda. Hoc opus, hic labor est. Agitur enim de studio decennali, de improbo labore unde vires, unde organa pulmonalia sensim sensimque fatiscunt, ac inde in pessum ruunt, unde mors.

Unde liquet omnia medicinae praesidia callere sanitati tuendae opportuna ac in praxim de me-

dicorum consilio revocare. Praesidia alia respiciunt juvenes ingressuros, alia ingressos et in sanctum institutum iam receptos. Juvenes ingressuros quodam charactere oportet esse praeditos qui physicam syntaxim respicit: num, nimirum sint bona constructione praediti, an e contra. De charactere morali, de virtutibus Adolescentulorum non erit hic sermo: non est obiectum mei laboris, Testimonia hujusmodi Patribus ac Parochis committenda.

Quam proinde laboriosum, quam tremendum sit, vident omnes, munus examinandi juvenculos. Quoniam interest ad examen omnia revocare, ac inspectis juvenculis judicium proferre de juvenculis eligendis, ac deprojiciendis. Hujusmodi munus jure meritoque Doctoribus physicis concreditum est. Unde recte sancimus ad formalem congressum duos tresve Doctores physicos ac expertum Chyrurgum esse convocandos, adesse Patres consulentes ac Reverendiss. P. R. M. ad congressum praesidente: omnia minutim ad trutinam revocare; tum ad externam syntaxim pertinentia, tum interna vitia, quae latitare queant, tum passim callide siscitari juvenculos de vita ante acta, de genitoribus, de eorumque morte, de, si forte fuerint, malis passis, et de pharmacis inde susceptis.

Sapientis est praevidere futura.

Haec sententia valet tanti, quanti valet dimidium Congregationis nostrae. Quoniam Sanctum ministerium nostrum non solum ex scientia juvenum pendet, sed ex eorumdem valida sanitate. In Aposto-

lico Ministerio necesse est quod scientia cum sanitate amice conjuret.

Hinc opellam nostram in tres partes dispeseere curavimus.

1. Pars agit de examinandis, et cognoscendis juvenculis ac inde ad Apostolicam vitam eligendis idoneis.
2. De cognoscendis mediis ad sanitatem tuendam opportunis.
3. De mediis praecognitis ad sanitatem tuendam in praxim revocandis.

In nomine Domini exordiamur a prima.

Quoniam experientia didicimus quosdam praedispositiones in corpore humano latitare quandoque, quae lapsu temporis in perniciem juvenum et Congregationis erumpunt: nec raro talia fata adnotantur. Sunt enim praedispositiones hujusmodi, quae inspecto corpore ac intimius perpensae, nequeunt nisi raro, cognosci.

Sunt morbi qui haereditarii dicuntur: dicuntur enim haereditarii, quia haereditario veluti jure de genitoribus descendunt in filios. Hinc pater mortus apoplexia, filius florente aetate apoplecticus obit, pater epilexiam passus, filius et epilecticus evadit; pater cronico rheumatismo laborans generat filium rheumatismum inde passurum. Podagricus pater, podagra et cruciatur filius; pater hydrope laborans, filius et hydropicus evadit; asthmaticus pater asthmaticus filius; calculosus pater, filius et florente aetate calculis cruciatur. Haec ex-

perientia saepe saepius nos docet. Unde hoc? Sacrum ac stupendum naturae opus enarratu difficile, paucis explanandum. Proh dolor! Quid plura? Labe celtica infectus pater, innocens puerulus eadem labe infectus evadit ac inde florente aetate aut perit, aut vitam aerumnosam ducit, qua proinde suscipiendis muniis impar evadit.

Hinc quae diligentia adhibenda? quae calliditas in interrogandis juvenculis ac inde latebras patefacere? Negotium quippe explanatu difficile sapientium medicorum haec est cognoscere.

Inter omnia vero mala quae ad aegritudinem viam sternunt quodam irreparabili pacto, principem locum sibi vindicat praedispositio ad haemophtysim ac inde ad phtysim, malum inemendabile.

Haemoptysis cruentum sputum denotat, dum sanguis e pulmonibus erumpit. Hujusmodi malum pendere potest tum ex praedispositione in physica constructione habita ab iacunabilis, tum ex accidentali caussa. Exordiamur a prima.

Praedispositio ad Haemophtysim inspecto corpore ac qualitatibus externis rite perpensis, facili pacto ignosci potest. Medicorum emunctaenaris haec est callere.

Caracteres physici juvenculi jam praedispositi lapsus temporis sanguinem e pulmonibus emissuri sunt sequentes.

1. Collus oblongus.
2. Torax angustus.
3. Scapulae depraessae.

4. Genae colore amaeno roseo, et candido infectae.
5. Cutis mollis, pellucida, et ad tactum calida.
6. Sputum viscidum, et salsum,
7. Scapulae acuminatae.
8. Praecordia contracta.
9. Pectus angustum, et depraessum.
10. Cervix gracilior.
11. Tenor omnium pectoralium flaccidissimus.
12. Caro totius corporis musculosa tenerrima.
13. Anhelitus contumax, inemendabilis caussa haemophtysis.
14. Ingenium acutum.
15. Vox fioca.

Haec omnia demostrant vasa pulmonum esse debilia, ac inde facile rumpi; unde haemophtisys, unde phtysis, unde mors. Mirabilia auditu! Hujusmodi characteribus designatum nostris oculis juvenculum se exhibentem licet inter turbas juvenum experientia edocti haemophtysi praedispositum esse sancimus. Unde lapsu temporis juvenculum istum haemopthysi inemendabili pacto se subjicere; ac proinde sanguinem e pulmonibus emissurum: sanguinem nos sangimus sequi ulcus, ulcus, sputum purulentum, sputum purulentum febrim, febrim maciem, maciem consumptionem, consumptionem phtysim, phtysim, mortem proh dolor.

Haec callere est doctoris physici, unde ipse tenetur in die examinis siscitari juvenculos omnia quae ad rem faciunt, et externas qualitates phy-

sicas recognoscere; recognoscere. Characterem physicum: inde magistraliter sancire oportet et pro rei veritate, et pro conscientia.

Lacrymis obrutus recordor juvenes quosdam spem constituentes tum familiae, tum rei publicae litterarum repentino modo sanguinem vomentes fato sublatos. Quo iverunt labores decennii? quo conamina Patrum et Rectorum, et Praefectorum, et Magistrorum? Pulvis, et umbra sumus! Humana prudentia, vigilantia ac medicorum cognoscentia pro viribus adhibendae in juvenculis seligendis, ne forte ex praepostero examine juvenculi ad tyrocinum admittendi expellantur, et expellendi admittantur.

Veruntamen hic loci interest adnotari non semper vasa pulmonalia sanguinem emittere ex praevia dispositione ad haemoptysim, quandoque juvenes torosi, valida constitutione praediti arrepta occasione sanguinem e pulmonibus emittunt.

Quoniam vasa pulmonalia pluribus caussis possunt aut corrodi, aut rumpi, aut relaxari, ac inde sanguinem effundere; quemadmodum potest exire de poris inorganicis per transudationem arteriarum: ita enim docent Doctores emuntaenaris. Per diabrosim dixerunt Graeci, per rexin, per anastomosim, per diapedesin, sanguinem effundi e pulmonibus. Primus modus, sed raro datur, magnum periculum involvit; tertius non grande periculum involvit; quartus autem, nullum. Veruntamen secundus modus, quo sanguis emittitur, magnum

periculum involvit, utpote qui exit e vasis pulmonalibus ruptis, ac hujusmodi casum saepe saepius ex praepostero vitae ordine originem sumeres sumus experti. Unde hoc? ex quibus caussis? haec paucis brevitati pro more consulentes explananda aggredimur.

Caussae quomodocunque pulmonibus infligant vulnus, dant originem haemoptysi, ac inde phthysi.

Caussae hujusmodi mala ferentes sunt permultae. Et tussis vehemens, et cantus, et clamor, et nimius cursus, et declamatio, et magna ira. Quandoque magna conamina in sonandis tibiis, calamis, et fistulis, et cornibus, aliisque instrumentis flatu animatis, queunt vasa pulmonum erumpere ac sanguinem inde emittere. Proh dolor! Pereunt tot juvenes ex imprudentia, et caussas ignorantes quae mortem afferunt.

Quid ergo praedicendum de haemophtysi? non est dicendum nisi aliud quod dici solet de malo inemendabili. Non est in medico semper relevetur út aeger; interdum doota plus valet arte malum.

Quoniam morbi ex horganicis vitiis internis inemendabiles evadunt Hippocrates clarissimus pater Medicinae ac princeps medicorum ad propositum hanc sententiam protulit. A sanguinis sputo, puris sputum, a puris sputo tabes. Quid de tabe dicendum? quid dicendum de novissimo fato. Filius Dei potest dicere: Adolescens dico tibi surge, et ambula.

Neque reticenda est haemoptysis quae praeposte-

rum modum in suscipiendis balneis marinis, tenentes indisciplinatos juvenes, irreparabili pacto jugulat.

Nota. Quot juvenes hic Tropien ludentes in aquis, et magna voce clamitantes, gesticulantes, et pandiculantes, in undas ex alto loco jocose prosilientes, et caput aliquantisper submergentes, ac undique crepitantes, repentino fato ex hac vita migrarunt? Quot familiae hic Tropien lugent filios interentos ex praepostero modo suscipiendi balneas? Loetitia gestiens in undis commutatur cum letho in sepulchro? Quot autem cursitantes tum equestri, tum pedestri itinere, concussis pulmonibus sanguinem evomere vidimus. Et extrema gaudia luctum occupasse?

Hactenus de praedispositionibus morborum et de caussis haemoptysim promoventibus, unde dignoscere quos Adolescentulos ad vitam Apostolicam promovendos, quos rejiciendos. Ordo rerum tractandarum licet stricto calamo, exposcit insuper quaedam mala suggerere inemendabiliter in juvenibus jam receptis quandoque sunt eruptura.

Talia sunt enim quidam capitis morbi, seu abscessus et caries cranii. Talia quandoque tumores cystici ex origine celtica, talia quandoque tumores aneurismatici arteriae temporalis, nec non cephalgia diuturna cephalea apoplexia epilepsia, carus et incubus.

Nota. De incubo, et succubo paucos abhinc annos quodam nostro Amico impellente oportuit me

disscrere, et in medio physicorum doctorum momenta proferre unde quodam bellum emersit inter DD. physicos, theologos ac animarum moderatores omnia phenomena incubi spiritui maligno tribuentes.

Accuratius vero et sunt rimanda aurium mala, seu perforatio membranae tympani obstructio meatus auditorii, ac vitia nervi acustici, unde juvenes nequeunt bene audire neque sonum, neque varietates ejus.

In consessu pari pacto mala narium ad examen sunt revocanda: quoniam peracto tyrocinio quandoque erumpere colent, unde progrediuntur polypi mucosi, carnosi, et scyrrhomate; ac inde deturpante vultum ac vocem juvenum.

Principem vero locum sibi usurpat *ozaena* unde maximo foetore cadaverum more manat, et incurabilis evadit. Talia sunt et mala oris, nimirum paralysis linguae, unde juvenes balbutiunt, caries dentium, et scorbutum gingivarum, unde faetor pestilens.

Pectus et suis malis tenetur unde in juvenibus quandoque apparet mala conformatio, ac inde organica ac inemendabilis palpitatio, unde aneurismata cordis.

Abdomen aggrediuntur mala per multa, quae nisi ispecto, erectis cruribus, ac rite contrectato difficile conspiciuntur. Talia sunt enim obstructio hepatis, lienis, mesenterii, unde lencto gressu marasmus, et atrophia. Nec retinenda bubonocele, onphalocele, enteronphalos, epiplonphalus pneu-

matocele, hydrocele, sarcocele. Exposita mala patres nostri saepe saepius aggrediuntur ut pote ab infantia praedispositos.

Corporis superficiem quandoque ulcuscula marcescentia, quandoque maculae invadunt, unde annorum lapsu in mala curatu difficillime erumpunt.

Arctus tum superiores tum inferiores per multa mala invadere solent. Omissis aliis, podagra gonagra, chyragra principem locum sibi usurpant hunde hujusmodi mala vulgo dicuntur *Opprobrium Medicorum ac flagellum negrotantium.*

Oculi autem cunctam Medicorum solertiam exigunt, Cl. Celsus Cicero Medicorum statuit omnem curam, sollecitudinem maximam esse adhibendam in custodiendis oculis. En verba inclyti vidi. *Ingentibus vero variisque casibus oculi nostri patent qui cum magnam partem ad vitae simul et usum dulcedinem conferunt summa cura tuendi sunt.*

Casus hujusmodi sunt reapse ophtalmia cronica, amaurosis seu gutta serena, cataracta fistula lacrymalis aliaque mala quae brevitate consulentes praeterire licebit.

Hinc clarius meridiana luce patet omnem curam, omnesque conatus, ac omnem calliditatem adhibendam esse in seligendis juvenculis ad vitam Apostolicam ducturis quoniam non solum morales, ac theologiae requiruntur virtutes; non solum preclarae rerum notiones *tum divinarum*, *tum humanarum*; sed insuper ad vitam apostolicam exercendam firma requiritur atque costans valitudo.

Hisce sic expletis ac pro more brevitati faventes ad secundam partem progredimur, acturi de cognoscendis mediis ad sanitatem tuendam, et servandam idoneis.



PARS SECUNDA

Peracto tandem juvenculorum examine, atque statuto charactere verae sanitatis, ad tyrocinium inde juvenculi merito sunt admittendi. In toto tamen tyrocinii curriculo summa cura ac sollicitudo est adhibenda, an internae labis diu in corpore abditae specimen elucescat; et eodem tempore vacent Rectores ac Magistri tyronum ad sanitatem eorumdem, et tuendam, et conservandam. Mutatio enim loci ac novum vitae genus facili pacto sanitatem inficiunt. Agitur enim non de chorio humano, sed de tuenda sanitate juvenum, qui dulcem spem nostri Sancti Instituti, bonum Ecclesiae, salutem animarum, et pubblicam tranquillitatem lapsu temporis sunt constituturi.

Hinc Rectores Domorum et Ministri, et Magistri, Studentium Praefecti, Lectores animum ad id incumbent ac sedulam dent operam. Facilius est mala opportunis remediis adhibitis vitare, quam contracta debellare. Jacula praevisa minus feriunt, quemadmodum fertur. Nos autem hujusmodi sententiam corrigentes dicimus: jacula praevisa nihil feriunt opportunis jaculis jacula declinando. Nos undique praemimur aerumnis, ac multiplicibus caussis morborum, quibus miserrima humanitas laborat.

Hinc liquido patet Superiores nostrarum Domorum prae oculis omnia media, necesse sit habe-

re, ne juvenculorum vita hisce neglectis pereat. Quoniam ex eorundem recto regimine omnia bona promanant. Quaenam media unde omnia bona promanant num ne sciscitamini? Respondemus octo esse media, unde omnia bona juvenum dimanant; veruntamen ex praepostero regimine eorumdem scatent omnia mala. Quae singillatim adnotanda.

1. Aer primum sibi vindicat locum.
2. Esculenta.
3. Poculenta.
4. Motus, et quies.
5. Somnus, et vigilia.
6. Perspiratio.
7. Animi pathemata.
8. Tenor ac ratio studendi, et vivendi. Quae omnia brevitati pro nostro more faventes explananda aggredimur.

1. Cuicunque vel parum meditanti, et in physicis tyroni innotescere potest nos omnes, cunctaque animalia ac vegetabilia in aere vitam ducere. Quoniam omne vivens respirare tenetur. In aere vivimus, movemur, et sumus docuerat Galenus. Propterea aer seligendus est purus ut respirationi favere possit. Quo enim a puritate recedit, eo impar respirationi evadit; et quo respiratio validior, eo oxigenum principium vitale, consumitur; et eadam mensura, qua consumitur oxigenum, e pulmonibus evolvitur et hydrogenum, et carbonium, unde nostra atmosphaera infecta animalium respirationi sustinendae impar evadit. Ita docue-

runt clarissimi Galli recentiores. Eodem pacto aer palustris aliis quibuscunque baeterogenis principiis infecta et redditur inecta nostrae respirationi. Hinc colluvies morborum, qui lento gressu evolvuntur; ac inde eo difficilius curantur, quo longior in palustri aere incolatus. Unde febres diuturnae, viscerum obstructiones, cachexia, rheumatismus, hydrops, ac centena millia malorum. Propterea summa cura ac vigilantia est adhibenda ne studentes nostri aerem infectum inhabitent. Domus enim dicata studiis omnibus bonis qualitatibus gaudere debet. Princeps character ejus: aer saluberrimus ac temperatus, ne juvenculi nostri post tot totque labores contaminatis pulmonibus pereant. Quaeque ipse miserrima vidi. Praesidum sapientia haec omnia mala vitat. Hactenus de aere, nunc pauca de esculentis.

2. Cibis quotidie utamur oportet, ne vita deficiat; et pro sanitate tuenda, qualitas, quantitas, et tempus servandum. Cibi humano victui opportuni ex regno tum vegetabili, tum animali sumuntur. Regnum animale vegetabili est praeferendum. Quoniam alvi fluxus, virum imbecillitas diuturnum vegetabilium usum sequuutur. Hinc patet carnes animalium homini alendo esse opportuniores prae vegetabilibus utpote glutine repletas. Ipsa experientia nos talia docet.

Secundo loco veniunt pisces saxatiles; et parvi qui reponendi sunt in penu tenerarum ovium. Ova sorbilia vero reficiendis viribus opportuniora. Nec

reticenda caro pullorum, utpote quae et nutritioni, et digestioni prae omnibus aliis est efficacior. Veruntamen ut rectius loquar caro vitulina prae omnibus est eligenda; quia et victui, et vitae, et digestioni, et valetudini tuendae praestantior.

Quid dicendum de suilla? multi multa dicunt Galenus iste medicorum princeps praefert eam omnibus escis, modo sit bene praeparata. Quid de fructibus horaeis? Litterati, ac proinde studentes nostri vitam saepe sedentaneam ducentes post esum carnis vescantur fructibus *horaeis* atque maturis.

Ciborum quantitas sedulo mensuranda: semper habita ratione viribus ventriculi, et fami.

Medici opinantur quod sit prudentius peccare in quantitate excedente, quam deficiente. Nunquam ajebat clarissimus Homius (*sect.* 2. *p.* 5.) utilis est nimia satietas; saepe inutilis est nimia abstinentia. Posterior priore perniciosior.

Quo tempore cibus est sumendus? de hac re nec regulae, nec canones sancire licebit. Ubi fames, ibi tempus. Haec natura docet. Aetas, consuetudo, vitae; ratio normam statuunt.

Nobis vero almae constitutiones statuunt et quantitatem, et qualitatem, et tempus edendi, exceptis infirmis, et nondum bene valentibus. Rector tamen potest per modum actus, sed raro, et tempus, et dapes, et dapum qualitates, et quantitates variare.

3. Sub nomine alimentorum venit et aqua, ac omnia poculenta. Aqua potabilis eligenda purissi-

ma, eligenda simplex, inodora, crystallina, diaphana. Aqua enim saepe haeterogeneis principiis repleta observatur. Parum interest an sit frigida, an minus frigida: interest autem esse purissimam. Quoniam haeterogenea principia pedetentim ministrant elementa morbis renum, pedum, genuum, manuum, et totius corporis. Unde nephritis, lithiasis, unde dolores ventriculi, ac unde lapsu temporis et podagra, et gonagra, et chyragra.

Aquae defectui vinum ex uvis maturescentibus praeparatum supplere potest. In hoc tamen potando summa cautio est adhibenda: ne excedens quantitas nervorum vires pessundet. Post prandium, aut coenam pauxillulum vini, et juvenculis villi, pro juvanda digestione prodest. Nimia quantitas fugienda est veluti a facie colubri; quoniam paulatim nervos debilitat, et paulatim ad mortem sternit viam. Usus Caffè cum moderamine adhibendus. Singulis diebus pro una vice satis erit. Clarissimi doctores ajunt quibus, et ego adhaereo, nervos pedetentim afficere. Non erit vero dubitandum quin confectiones ex alchol, et saccharo parate, quae vulgo liquores spiritosi dicuntur, nervis noceant admodum. Cocolatum ad reficiendas vires stomachi in itinere quandoque juvat. Hactenus de poculentis, modo de motu, et quiete.

4. Ordinata vicissitudo motus et quietis valetudini servandae admodum est opportuna. Per motum solida roborantur, et fluida perficiuntur. Constitutiones nostrae statuunt tempora et motus; et

quietis : omnia cum póndere et mensura. Unde per duas tresve vices in hebdomada exeundum ; aliis vero diebus animi relaxandi gratia per viridarium hora statuta licet deambulare petita licentia. Rector autem domus habita ratione loci pro sanitate juvenum haec quandoque variare potest.

Veruntamen summa cautio adhibenda est ne juvenes deambulaturi tempore umido, frigido, ac ventoso. Tunc enim perspiratione suppressa facili pacto contrahi possunt cephalalgia, dolores rehumatici, et febris, unde alia mala quae sequuntur.

Reprobandus motus vehemens, et vehemens cantus, clamor, vociferatio, declamatio, et vehemens risus. Quoniam in modica harum actionum exercitatione vasa pulmonalia sensim dilatantur, et rumpi possunt.

Insuper monendi juvenes iter agentes, sive in rheda ferantur, sive in carpento, sive in petauro, sive in lettica, sive in curriculo, sive navi, ne ex vehementi motu concussis pulmonibus sanguinem evomant. Quaeque ipse miserrima vidi. Quoniam paucis abhinc diebus huc venit strenuus adolescens, ac decorus Sacerdos Neapolim petiturus. Vapore vehementer raptus concussis pulmonibus post duas horas irreparabili pacto sanguinem evomere coepit.

5. Motus cum moderamine adhibendus, ac cum quiete alternandus. Valitudo sine motu custodiri nequit, quemadmodum et sine quiete. Id natura statuit pari pacto per somnum, et vigiliam sani-

tatem esse tuendam; et haec duo ut amice conjurent.

Quoniam per vigiliam corpus emacrescit, e per somnum enutritur. Per somnum torpescunt solida, et pigro lapsu moventur; per vigiliam solidorum vis erigitur. Per somnum sensus hebescunt, et cerebrum opprimitur. Per vigiliam illi reviviscunt, et hoc ab oppressione liberatur.

En ratio cur nimium somnum gravia mala sequantur; nimirum vertigines, cephalalgia, cephalaea, stupiditas, et quandoque apoplexia.

Vicissitudo somni et vigiliae sanitati tuendae admodum apta. In utriusque moderamine reperitur valitudo. Qui vitam sedentariam ducunt parco indigent somno. Litteratorum somnus debet esse brevis. Nimius somnus hebetat vires cerebri: sex, septem-vehorarum somni sufficiunt sanitati servandae. Constitutiones nostrae omnia statuunt in pondere, et mensura, quibus juvenculi nostri plene acquiescunt.

Recte superius nos statuimus somnum cum vigilia esse alternandum; quoniam in utriusque moderamine constitit valitudo. Hinc diu vigilandum, noctu dormiendum.

Quid dicendum de juvenibus illis, qui noctu abdicato somno, aut student, aut scribunt? Quamvis petita licentia non licet neque studere, neque scribere. Quoniam vires tum animi, tum corporis sensim, sensimque fatiscunt, et incauti juvenes pereunt. Omnia tempus habet. Est tempus studendi, est tempus scribendi, et dormiendi.

6. Modo aliqua habenda de perspiratione.

In utraque superficie corporis humani aperiuntur pori undequaque, ac inde perennis exhalat, oleum, sal, aqua, carbonium, hydrogenum. Talia docent Neuterici Galli. Hujus excretionis tanta est utilitas, et necessitas, ut docente Clarissimo Sanctorio nemo sanus esse possit, nisi insensibilis perspirationis regimen tueatur. Etenim perspiratio per multas caussas variare potest. Et per aetatem, et per rationem vitae, et temperamentum, et qualitatem, et quantitatem ciborum, et per animi pathemata, et per vicissitudines motus, et quietis ac speciali pacto per vicissitudines frigoris, et caloris.

Hinc juvenibus nostris summa cautio est adhibenda ne hisce caussis perspiratio impediatur, quemadmodum in tertia parte sumus adnotaturi.

7. Homo pathematibus destitutus truncus foret, ficulnus, inutile lignum. Vix sibi vitam vegetativam vindicaret. Veruntamen ipsis feris, atque belluis crudelior foret, nisi ratione, et prudentia ea regere sciret. Quid enim accideret homini in societate constituto, si foret orbatus amore, voluptate et spe? neque bonus civis, neque bonus homo, tum publicus tum privatus; neque bonus Christianus, quod magis interest. Impar quippe evaderet suscipiendis muniis tum status, tum Ecclesiae, unde hominum societas in dissolutionem necessario abiret.

Hinc patet quam animi pathemata sint homini necessaria, sed eodem pacto interest ea dictamina

rationis, et Divinae Revelationis sequi. Quoniam ab hisce pendent salus animarum, et publica tranquillitas.

Animi pathemata ad duo capita reducuntur ad amorem nimirum, atque ad odium. Ad amorem refertur laetitia, et spes. Ad odium vero timor! maestitia, invidentia, atque ira. Mirabilia dictu, quam mutabilia sunt pathemata hominum! mutantur in horas. Dum homines sustinent jejunium longum sunt maesti, sunt tristes, et quaeruli ac submissa voce loquuntur. Ingurgitatis dapibus, ac repleto stomaco laetantur statim, ac hilares evadunt, alta voce loquuntur, et choreas ducunt quandoque. Miles ad tubae sonitum ac ad bellum accessitus pallescit, et timet; cum vero cibo, et baccho litaverit spernit omnia pericula, et ad mortem procedit impavidus. Quid reapse valeret homo pathematibus destitutus? nec sibi, nec Patriae, nec Deo bonus, quemadmodum superius loquebamur.

Quo pacto enim hujusmodi Apathes improbos labores susciperet, pericula, conamina pro patria, pro familia, pro amicis, pro filiis si nullo amore afficeretur? Quonam modo foret bonus Christianus si Legislator Divinus jubet proximum nostrum amare sicut nosmet ipsos? ác se super omnia? Quomodo amabimus nullo pathemate affecti. Ubi deficit amor, ibi deficit fundamentum tum vitae civilis, tum Christianae. Ex hoc penu omnia bona promanant. In hoc cognoscent homines quod mei discipuli estis si diligatis invicem, nos docuit, Divinus Legislator.

Ubi pericula militum in debellandis hostibus nisi praemiorum spes fulgeret? Ubi agricola interdiu improbo labore laboraret, viribus fractis, et canicola adusti, nisi spes uberrimae messis cor suum laetificaret? Hinc progreditur Miles ad bellum Agricola ad laborem, Mercator ad nundinas: omnes spe praemii enutriti.

Hinc necessario interest omnia pathemata nostra ad suum finem dirigere, ac ea modulari ad normam rationis, et fidei. Quid valet homo subtyrannide pathematum? pejor, crudelior, truculentior, lupo atque cane rabido!

Hactenus de pathematibus; quae sequuntur, licet pauca, de tenore ac ratione studendi, ac vivendi: et haec de sanitate tuenda novissimum sibi vindicant locum.

8. Quae de sanitate tuenda hactenus explanavimus non sunt veluti praecepta a nobis sancita dumtaxat, sed media sunt, quae ipsa natura statuit ad bene vivendum; et casu quo ordo ac ratio recte vivendi ab hominibus non servetur inemendabili fato sibi ante tempus est moriendum. Oportet enim quod mediis a natura sancitis homines recte utantur. In natura rationali omnia sunt ratio, ordo, et sapientia. Quae a Deo sunt ordinata sunt propter hominem intravit peccatum in mundum, et per peccatum mors. In quacunque die comederis ex eo, morte morieris (*Gen. cap. 11 v. 17.*) Comedit Adam ex fructu vetito, unde mors, unde scaturigo omnium malorum. Dominus vero, cu-

jus misericordiae non est numerus, creavit medicinam et vir prudens non abhorrebit eam (*Eccl. cap. ult.*). Reliquit media ad vitam sartam tectam servandam in medio malorum, infirmam restaurandam, et quantum fieri potest, protrahendam.

Hinc aer purus quemadmodum superius loquebamur in primis est seligendus, ut respirationi favere queat et vitae; secus vita hominum aerumnosa et caeso vitae stamite miserrime pereunt. Quoniam in aere puro movemur et sumus. Veruntamen agricolae et rudes non acquiescunt hisce, neque credunt aerem purum humanae sanitati conferre. Ubi, ita loquuntur rudes, ubi bona sunt esculenta et poculenta, ibi bonus aer. Hinc in perniciem eorum saepe vidimus eos reduces de palustribus locis tot morbis laborantes: et febribus, mali moris, et obstructionibus imi ventris aliisque malis sapissime medicine vim eludentibus. Proh dolor! Hujusmodi exempla innotescunt in diem. Quot vero pereunt in diem epicureorum ac epulonum more ducentes vitam? ventrem prae oculis tanquam Deum habentes? litantes baccho et conviviis miserrime novissima fata subeunt! Inter scyphos, et crapulas vidimus, et horruimus, et cum dolore recordamur; de repente fracto stamite vitae hujusmodi extrema fata subisse, nec potuisse praesidia neque Ecclesiae, neque medicinae suscipere ad istar fulminis sussulit eos de medio viventium, quorum nomina non me meminisse docet.

Ex diuturno abusu esculentorum; et poculento-

rum colluvies morborum promanat. Unde apoplexia, epilexia, vertigines, paralysis, podagra, aliaque centena mala.

In motu, et quiete vita; in moderamine vero motus, et quietis valitudo recognoscenda. Quid dicendum de cursoribus; de volantibus ante rhedam, ac omni quiete abdicata vehementi motu cursitantibus hinc, et inde? Vita brevis, vita aerumnosa omnia pericula involvens. Modo erumpunt febres inflammatoriae, modo pleurytis, modo peripneumonia, modo angina, modo catarrhus.

Unde haec? Neglectis opportunis mediis ordine, ratione, tenore ac modo omnia haec necessario erumpere oportet. Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Affabre Philosophus Lyricus.

Abdicato motu quid mali! sensim evolvuntur febriculae lentae, sensim evolvitur cachexia, leucoflemmatia, anasarcha, ac tandem repentino modo sequitur mors.

Quae mala de somno et vigilia? quae dicta de motu et quiete. Ordo et ratio in omnibus servanda. Omnia cum moderamine. Ex nimio somno torpescunt vires, hebescunt, fatiscunt; cerebrum obstupescit, et languoris aegritudinis sensim erumpunt. Experientia haec nos docet. Quid de nimia vigilia? omne nimium est naturae inimicum. Vires cerebri destruuntur. Delirium, phrenesis quandoque apparent, et facultates animae phrenetice vivendo amittuntur.

Quid dicendum de litteratis et Philosophis vigiliae ac nocturnis studiis indulgentes? Hujusmodi litterati ac philosophi noctu studiis indulgentes lapsu temporis miserrime pereunt. Quoniam amissis viribus corporis, et animi evadunt imbecilles, neque sibi, neque patriae boni, utpote impares subeundis muniis, quibus erant designati.

Quot juvenes ex praepostero ordine studendi in nostris aedibus perierunt! In nostro sancto Instituto omnia spirant ordinem, consilium, sapientiam: opus aeternum nostri Beati Alphonsi.

Veruntamen juvenes ferventi ingenio praediti quondam haec declinantes quamvis petita licentia noctu improbis studiis indulgentes fracti viribus sensim perierunt, ac perierunt spes sancti Instituti ex praepostero studendi modo.



PARS TERTIA

Ecce tandem elucubrationum nostrarum novissimam partem aggredimur explanandam. Pro more nostro brevitati consulentes satagimus, ut juvenes nostri facilius proficere queant callentes ea quae callere oportet. Quoniam doctrinas quas ex Physica, Chymica, Physiologia, Hygiene, Pathologia, nostra diuturna praxi ac in evolvendis principibus medicinae doctoribus, eruimus, in aphorismos atque clinica effata stricto calamo convertere curavimus. Curavimus insuper notulis hinc inde adjectis pertinentibus qua ad theoriam, qua ad praxim, qua ad eruditionem, ut ea melius clarescere possint. Hinc clarissimi nostri juvenes hisce auxiliis muniti, ac prae oculis semper habitis, et in praxim ea reducentes, facili pacto queunt evadere et scopulos, et syrtes, et naufragia. In nomine Domini exordiamur a primo.

1. In aere vivimus, movemur, et sumus. Galenus.

2. Juvenes nostri caveant aerem humidum, nubilum, atque incostantem.

3. Caveant aerem infectum, palustrem, atque principiis haeterogeneis onustum, utpote humanae respirationi imparem. Valitudo in aere bono quaerenda.

4. Caveant iter agentes moram facere nec per solam noctem, ubi aer creditur infectus.

Nota. Moerens recordor, nec unquam obliviscor

Clarissimum Patrem decus ac ornamentum nostrae Congregationis Sanctae Visitationis tempore in hoc Collegium pervenisse febri laborantem aere infecto in quodam oppidulo contracta. Me medente opportunis medicinae praesidiis adhibitis illico ex faucibus orci eripuisse, et nostrae Communitati tranquillitatem amissam restituisse. Opera Dei revelare et confiteri honorificum est. Qui tunc temporis erat Reverendus Visitator, modo gratia Dei est Reverendissimus Rector Major universae Congregationis SS. Redemptoris Pater D. Joannes Camillus Ripoli.

5. Caveant frigus, et calorem supervenientem. Post frigus subitus calor, malum.

6. Omnia de repente frigefacere, aut calefacere, malum. Hippocrates.

Nota. Juvenes nostri serio animum incumbant post praedicationem clausis fenestris in cubiculo se custodire, bene abstergere, nec se patefacere, nisi prius sudore bene absterso.

7. Sudoris consueta neglecta abstersio, malum.

Nota. Inclytus juvenis, et pater noster egregius paucis abhinc annis sudore madefactus, non petita venia ob verecundiam, sudoris abstersionem neglexit; unde constipata perspiratione, frigus, rigor, dolor, febris, mors; et obiit egregius Juvenis.

8. Caveant rigidum hyemem; caveant tempus nimbosum, caveant brumam, et crepuscula tum matutina, tum serotina.

9. Caveant cubiculum humidum, aut calce recens dealbatum.

10. Caveant dormire prunis vel candelabro accensis.

11. Ante cubitum tempore aestivo aliquantisper aperiantur fenestrae.

12. Caveant dormire sub culcitra tecto capite, ne respiratio patiatur.

13. Caveant detecto corpore dormire, quamvis calor urat.

14. Ubi perspiratio supprimitur, ibi rigor, dolor, febris, quandoque mors.

Nota. Saepe saepius in nostris domiciliis vidimus juvenes, et senes horribilantes, ac febricula laborantes, utpote qui nullam adhibuerunt diligentiam in praecavendis malis a perspiratione suppressa provenientibus.

15. Calleant regimen esculentorum, et poculentorum unde vita, et salus.

16. Enutriatur corpus cibis opportunis, et quoad qualitatem, et quoad quantitatem.

17. Studentes nostri utantur carne vitulina, utpote quae nutritioni opportunior; raro vervecina; deficientem vitulinam tempore hyemali suppleat suilla.

Nota. Quamvis suilla per paucos patronos habeat, Galenus tamen, iste princeps medicorum affabre patrocinatur ei, ceu ex sequenti aphorismo patet: suilla est valde analoga et conveniens, quodque omnium ciborum potissime nutrit, si bene co-

quatur; quoniam praebet nutrimentum firmum ac durabile.

Nota. Proinde saepe monendus est cocus noster ut dapes ex suilla rite praeparentur ne Patres Nostri in edendis escis male praeparatis patiantur, et merito conqueri possunt, licet ex modestia nesciant conqueri: omnia esculenta rite sunt praeparanda; maxima suilla. Ministro interest omnia haec callere, et inpraxim revocare.

18. Saepe utantur pastillis, aliisque farinaceis; raro olere, per raro vero leguminibus, praesertim tempore aestivo.

19. Piscibus utantur raro, maxime spinosis ne forte faucibus juvenculorum adhaereant spinae, per raro nisi necessitate urgente utantur piscibus sale exiccatis.

20. Non indulgeant sali, neque piperi, utrumque sanitati nocet.

21. Non accedant ad mensam nisi fame impellente, neque recedant ab ea stomacho repleto. In moderamine victus consistit sanitas.

22. Cibis, qui in mensa apponuntur, et sunt in hominum usu, unusquisque utatur, nec quisquam credat se esse laesuros. Quoniam error in phantasia reperitur.

23. Quae consueta sunt alimenta, etsi deteriora insuetis prosunt magis quam insueta. Hippocrates.

24. Esculentorum excessus, sive defectus, malum.

25. Dies jejunii suppleant sequentes; secus vires deficiunt.

Nota. Juvenculis nostris indulgendum quoad nutritionem; quoniam prae aliis majore indigent; ac proinde quindecim ab hinc annis, dum in nostris aedibus Stili morabar juvenculis largiri jentaculum mihi erat in praxi.

26. Saliva admodum favet digestioni ciborum. Hinc fumigatio sive nigotianae masticatio, malum. Stomacus saepe surdo dolore laborat ac nutritio eadem mensura minuitur.

Nota. Miror quosdam fumigantes mane, ac sero, et credentes meliorem sanitatem captare, salivam emittendo sanitatem amittunt, et credentes fumigando humiditatem debellare, debell ant sanitatem.

27. Caveant juvenculi nostri uti dulcibus diu confectis quoniam diu confecta admodum sanitati nocent; secus confecta recens.

28. Artocreatum usus haud reprobandus, sed cum moderamine. Tissotus.

Nota. Recreationum tempore Minister domus, prout invaluit mos, potest eas juvenculis nostris quandoque praebere. Sat de esculentis.

29. In poculentis summa cautio est adhibenda.

30. Aqua potabilis ministranda purissima: anfrigida vel minus frigida, parum interest.

31. Ad praeparandas dapes cocus et utatur aqua purissima, ne arenulis onusta calculis elementa ministret.

Nota. Rationem et characterem aquae humanae sanitati servandae opportunae, indigitavimus in nostra secunda parte.

32. Juvenes nostri non abutantur repetitis potibus aquae affatim ; quoniam sudor undique mox manans , vires ocyus enervat.

33. Adolescentulis cum summo moderamine vinum est adhibendum ; quoniam calore abundant. Vita hominum in moderamine vitae.

Nota. In nostro sancto Instituto omnia in moderamine vigent. Adolescentulis nostris in edendis dapibus cyathus vini conceditur ; raro cum dimidio , perraro duo. Quidam duas , tres-ve uncias , alii vero nil potant.

34. Senibus licet vino cum moderamine uti ; quoniam vires reficit ; unde dicitur lac senum.

35. Abhorreant omnes a liquoribus spiritu vini , et saccharo confectis ; quoniam vires laeduntur , et lapsu temporis contremiscere caeperunt.

36. Modico vino vires aluntur , copiosiore autem laeduntur. Hippocrates.

37. Potio calida ex arabibus fabis tostis et saccharo edulcorata (italice caffè) reprobanda , utpote quae nervos sensim laedit. Patribus nostris vero, quia mos invaluit , concedenda.

Nota. Hujusmodi sacrificium hodie litandum saeculo ac universali consuetudini ac habitudini , non autem hominum sanitati ; quoniam sanitati nocet admodum , utpote quae lento gressu pessundat nervos, et artus.

38. Valitudo servatur in moderamine poculentorum , et in vitandis potionibus nervos laedentibus.

39. Iter agentes valde mane satius est uti choco-

lato, quam dapibus; dapes enim gravant stomachum.

40. Caveant purgantia, vomitoria, ac sanguinis emissionis perhabitum, nisi urgente necessitate et medico emuntaenaris consulente.

Nota. Mirum hercle! vidi quosdam ansantes, ac irrequietos suscepisse medicamina, et purgantia, et vomentia, et expectorantia; aliosque et venam aperuisse ad sanitatem captandam ac morbos repellendos, motu proprio, ac nemine medicorum imperante, unde lapsu temporis proficiscuntur mala difficilia curatu, et quandoque lethalia.

41. Sanitas in recta ratione agendorum, non in conaminibus phantasiae reperitur.

42. Salus humana non solum victui, ac potui est committenda; sed et motui, et quieti. In utriusque moderamine valitudo requirenda.

43. Vita hominis in motu consistit. Ubi motus, ibi sanitas non requirenda; sed ubi motus, et quies amice conjurant.

44. Nimius motus mortem parit, nimia quies, et mortem parit.

Nota. Hinc sapientia nostrorum canonum sancivit et Patres, et adolescentes nostros bis, ter-ve in hebdomada exire extra nostra domicilia ad deambulandum animi relaxandi gratia. Item tum ante meridiem audito primo signo, tum vespere hora 23 juvenibus nostris licet e cubiculis exire, ac per curricula nostra deambulare, moderate cursitare, miscere colloquia, et cantiunculas missionum more canere.

45. Caveant vehementi cursu currere, tum equestri, tum pedestri itinere, ne forte vasa pulmonalia sanguinis impetu aperiantur, et appareant vexilla belli.

Nota. Moleste memini juvenem in saeculo inter equitandum concussis pulmonibus sanguinem per os misisse, phthisicum evasisse, ac extrema fata subisse. Proh dolor!

46. In moderamine somni, et vigiliae sanitas invenienda. Rectam vicissitudinem eorumdem ad valitudinem tuendam nemo reperitur ignorasse.

47. Ex nimio somno lente torpescunt, et vires corporis, et animi facultates; unde hujusmodi somniculosi lapsu temporis imbecilles ac stupidi evadunt, ac ad hydropem se praeparant.

Nota. Canones nostrae almae Congregationis ex nimia sapientia decernunt tempus dormiendi, et vigilandi, tempus studendi, et tempus orandi, tempus edendi, et tempus animi relaxandi.

48. Adolescentuli nostri calleant dictamina nostrorum canonum, nec hilum ab eis declinare audeant, ne forte sanitatem amittant.

49. Mane audito primo signo surgant inconsulta natura, ac peracta oratione unusquisque satagat ad propria munia adimplenda. In hoc consistit vita, valitudo, pax ac salus aeterna.

50. Caveant juvenes nostri post novissimum signum noctu studere, scribere, aut meditari; nec audeant licentiam petere studendi, sive scribendi.

51. Omne nimium est naturae inimicum. In moderamine salus.

52. Incumbant juvenculi nostri sero ante cubitum rite custodire lectulum ac culcitram ad latera apponere, ne forte noctu cadat, et cum ea juvenculus dormiens.

53. Caveant dormire janua sive fenestra apertis. Perspiratio enim impeditur ac inde seminarium malorum.

54. Caveant flante borea saepe utpote micidiali se patefacere.

55. Caveant fratres ad primum signum deputati mane violenter percussis valvis juvenculos dormientes evigilare, ne forte subita vertigo appareat. Quaeque ipse recordor.

56. Somnus sine insomnis, bonum. Somnus ab insomniis perturbatus, malum.

57. Somnus tanti valet, quanti respiratio. Impossibile est dormire, et non respirare; et abdicato somno respirare, et incolumem vivere.

58. Vita in respiratione, et somno consistit; salus autem in recta respiratione ac moderamine somni.

59. Supinus corporis situs, stomachus valde repletus, vehementes animi curae in somnia arcessunt.

60. Adolescentuli nostri caveant hujusmodi caussas ne noctu agitentur in somniis, et salus sensim laedatur.

61. Vehementis curae somnum repellentes quandoque phrenesim arcessunt. Quot juvenes grandi in genio phrenitide pereunt!

Nota. In incurabilium Xenodochio hisce oculis vidi eximios juvenes praestanti ingenio et sapere, ex praepostero studiorum ordine, ac injuriis ad munia sibi allatis, phreneticos evasisse, ac reipubblicae litterarum spem elusisse.

Dictamina sancti Evangelii, et canones nostri sancti Instituti omnia haec vitant.

62. Caveant animi pathemata, ac eorundem regimen summo studio, ac oratione calleant.

63. Maestitia, quod mirum! interius obstat, ne materia perspirabilis foras exeat.

64. Si impedita est perspiratio, diebus sequentibus vel augetur ipsa perspiratio, vel aliqua evacuatio sensibilis plenior, vel cachexiae vestigium, vel febris apparet. Sanctorus.

65. Perspiratio sensibilis cum sudore juncta, malum, utpote quae vires enervat.

66. Post assumptionem cibi a quinta ad duodecimam horam homo sanus perspirat tres libras circiter.

67. Per placidum somnum optime perspiramus; secus vero si somnus perturbetur ab insomniis.

68. Qui dormiunt, et non somniant, bene perspirant.

Nota. Hinc liquet juvenculos nostros tum tyrones tum studentes quam intersit omnia conamina adhibere ad rectam perspirationem regendam. Quoniam perturbata perspiratione omnia organa in pessum ruunt.

69. Timor, et maestitia ad longum tempus protracta ad mortem ducunt.

70. Moderata loetitia uberem perspirationem parit, ac sanitatem eadem mensura servat.

71. Animi consolatio quacunque de causa fiat aperit pora, et laetam perspirationem facit.

Nota. Propterea juvenculi nostri curis omnibus abdicatis, ac deletis patriae, et parentum nominibus, loetentur in Domino, grates agentes de receptis bonis; utpote qui de vorticibus saeculi vitam aeternam consequi valeant; modo in gremium sancti Instituti traslati.

72. Non satietas, non fames, neque aliud quicquam, quod naturae modum excedat, bonum est.

73. Admodum dormire, vel admodum evigilare, utrumque aeque malum.

74. Quae multo tempore attenuantur corpora, lente reficere oportet; quae vero breviter brevi. Oportet naturae in suo cursu favere.

75. Ad rectam debilitatem medendam a minimo stimulo incipiendum est. De repente velle reficere idem est quam aegrum jugulare.

76. Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis laedes.

77. Ubi fames non oportet laborare. Quies consulenda.

78. Ubi cibus praeter naturam copiosior ingestus fuerit, morbum facit.

79. Quae enim longo tempore consueta sunt alimenta etsi deteriora insuetis minus molestare solent.

80. Crassi, et pingues admodum, secundum naturam magis cito pereunt, quam graciles.

Nota. Hinc patet necessitas motus, et in omnibus moderamen.

81. Quicunque sanguinem spumosum expuunt, his e pulmonibus fit eductio.

Nota. Clara est ratio, qua sanguis spumosus apparere debet; quoniam proficiscitur ex imis pulmonibus, unde necessario in espiratione cum aere miscetur.

82. A tabe occupato alvi profluvium superveniens, lethale.

83. Frigida inimica ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullae; calida vero grata.

84. Frigida, velut nix, glacies, pectori inimica sunt; tunc enim movent sanguinis eruptionem.

85. Podagricae affectiones ut plurimum vere et autumno moventur.

86. Si quis febricitanti cibum det, quae sano exibet, sano quidem robur, aegro vero est morbus.

87. Tabes maxime fit ab anno decimo octavo usque ad trigesimum quintum.

88. Pulsibus non semper fidendum, pulsus quandoque boni, aeger autem ad mortem properat.

89. Pulsus bonus, urina bona, aeger tamen ad mortem tendit. Hippocrates.

90. Quamvis periculum videatur abesse, Ecclesiae praesidia ministranda.

91. Regnum Coelornm primum est quaerendum.

Nota. Quot recordor medicinae Doctores Ecclesiae praesidia oblitos fuisse, et infirmos sacris praesidiis destitutos ad aeternum migrasse. Proh dolor dum haec recordor!

92. Vita in sobrietate ducta, princeps regula vitae.

Nota. Aloysius Cornaro verum exemplar vitae sobriae longam vitam duxit sobriter vivendo.

93. Taedium, atque maestitia diu protracta saepe saepius ad mortem ducunt.

Nota. Et reapse; haec experientia docet. Hinc male canebat Romanus Poeta: *Io più non credo che di dolor si muoja. E folle inganno dir che affretti un' affanno l' ultime della vita ore funeste; se fusse ver non viverebbe Alceste.*

94. Natura universi potestatem non superat.

95. Doctores naturam sequentes universi potestatem sequuntur.

96. Qui naturam sequitur, ille est medicorum optimus: Hippocrates princeps ac medicorum optimus talia docuit.

97. Caussas omnes comprhendere, et comprhensas omnes vitare impossibile est; unde morborum origo.

98. Omne corpus lapsu temporis debet dissolvi. Homo agentibus caussis tum physicis, tum moralibus necessario debet mori.

99. Longaevus maeror mortem parit.

Nota. Jurirconsultum eximium amicum meum eum dolore recordor: interempto filio, viribus lento gressu fractis ad longum tempus obisse. Flebilia dictu.

100. Subita Laetitia praecedente diuturno maerore saepe saepius mortem parit.

Nota. Exemplum Historiae Romanae, quae mortem illustris matronae ex nimia laetitia interemptae refert, haec liquido evincit.

Dolentisssima Matrona suum unicum filium in Clade cannarum caesum amare plorabat. In terram provoluta, nigro colore amicta, crinibus turbatis, fenestris clausis, abdicatis amicis ac parentibus, abdicatis conviviis ac omni humano solatio; lacrymae solatium dolor ac labor vitae; vitam enim hujusmodi per duos annos egit. En de repente pervento filio ejus cucurrit ad eum amplectendum, et deosculandum; sed ad pedes ejus miserrime delapsa obiit.

Quid erat faciendum ne illustris Matrona viso filio obiret? Haec erant facienda. Vita filii primum ceu problema proponenda, mox inter possibilia adnumeranda, mox inter probabilia, ac ita sensim sensimque desolatae Matronae vires, erigere. Mox de reditu ejus filii adhibere testes equivocos; mox fide dignos testari filium unigenitum vidisse. Tandem suscepto potu excitante ire obviam filio suo. Haec metodus, haec erat ratio tenenda ad mortem languentis Matronae vitandam. Regimen animi pathematum est ars artium.

Ecce tandem aliquando clarissimi Adolescentes quae erant in votis. Ecce quae conamina mei ingenioli: fidelia testimonia mei amoris, quo Vos prosequor, et vires sanctae obedientiae poterant vobis exhibere.

Vos interea juvenes inclyti hisce auxiliis muniti

ac Deo opitulante ad bonum nostri Sancti Instituti, ad gloriam Dei, ad salutem animarum ac tranquillitatem populorum facili pacto callere potestis quae ad sanitatem tuendam, quae ad mala vitanda, quae ad nostra munia intimius recognoscenda, requiruntur.

Quoniam monita, effata atque doctrinae, quas hactenus stricto calamo vobis properavimus exhibere, non ex conaminibus phantasiae proficiscuntur, sed ex dinturno studio ab incunabilis habito in scientia salutari addiscenda, tum Neapoli, tum alibi. Proficiscuntur ex diutina praxi quam Neapoli, Catacii, Regii, Balnearis, Oppidi, Cortali, Neocastren aliisque Civitatibus colere oportuit.

In gremium nostrae Congregationis vocatus ad casus grandia pericula involventes pari pacto in consilium medicum, licet medicorum minimus saepe saepius oportuit adesse et mea consilia proferre.

Aduc quatraginta annis ac Deo semper, et meis praeceptoribus gratias agens hanc salutarem scientia m colui; aeternasque Deo grates ago, quoniam e vorticibus, et saeculi periclis tandem aliquando in gremium hujusce almae Congregationis me transferre complacuit, quamvis ab incunabilis talia erant in votis. Post habitis Patria, parentibus, amicis, fratribus, ac sororibus dignatus est in medio vestri novissima meo momenta vivere, quasi vocem interius audiens: derelinque domum tuam, et cognationem Patris tui, et vade in domum filii mei.

Hinc in testimonium affectus mei quo vos magno-

pere prosequor haec mea monita ad sanitatem vestram sartam tectam servandam vobis sistere festinavi: gaudens quippe; quoniam Vos estis stabile fulcrum patrum senum, dulcis spes nostri Sancti Instituti; vos estis sal terrae, quo homines fatui condiendi; vos lux mundi, quam apostulos aemulantes, per universum mundum estis effusuri. Vos eritis in medio inimicorum, quales oves in medio luporum ac ad mansuetudinem ovium vos estis reducturi. Terribile bellum triplici hosti vos estis indicturi, ac homines undequaque deperditos, et in gurgito iniquitatum versantes, vestris laboribus, jejuniis, oratione, charitate nimia, Deo auxiliante, ad bonam frugem ac in ovile Domini estis reducturi.

Vos inclyti juvenes, estote fortes in bello, pugnate cum antiquo serpente, estote parati ad debellandos hostes, fortiter dimicate, atrociter in isto praelio contendite; considerate pactum, conditionem attendite, militiam noscite; pactum, quod spopondistis, conditionem, qua accessistis, militiam, cui nomen dedistis.

FINIS.





